



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus  
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res  
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &  
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

**Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>**

**Wirceburgi, 1743**

Sylvanus Abbas LIV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

variis calamitatibus jactatus portum æternæ beatitudinis adivit anno 1640.

**NICOLAUS Molitor h. n. III.**

**ABBAS LIII.**

Inauguratus est anno 1640. mense Septembri; eodem anno præmaturâ morte extinctus quarto idus Decembris. Accusatus est mulierculæ cujusdam malitiâ tanquam violati sigilli sacramentalis reus; in carcerem etiam ducendus Wirceburgum, nisi detectâ calumniâ Abbatis integritas constisset.

**SYLVANUS ABBAS LIV.**

Sylvanus Speth Nüdlingensis Wirceburgi in Monasterio S. Stephani Abbas Schwartzacensis renunciatus est, contrâ atque Vitus Godefridus à Werdenau, Summæ Ædis Decanus, qui cum Reverendissimo Suffraganeo & Fiscali vota recipiebat, optaverat; electio hæc multis aliis planè inexpectata visa fuit, propterea quòd Sylvanus antea semper ferè obscurus jaceret omnis Prælationis osor acerrimus; ùt quidem laceræ vestes, quibus indutus erat, & multa alia indicabant: præterquam quòd naturæ justo timidioris esset. Protra-

ctus ergo ex umbra in lucem ex Pago Some-  
rach, cujus Parochum diu laudatissimum egit,  
ad Dignitatem tantam evectus, cœpit continuo  
præclaris Antecessorum suorum vestigiis insistere,  
nihil omittendo eorum, quæ cum Monasterii  
commodis conjuncta esse videbantur. Ex suis  
nonnullos Bambergam misit literis informandos,  
acturus multò plura, nisi elapso ab inauguratione  
quinquennio 19. Martii 1646. vivere desisset.

### REMIGIUS Winckler ABBAS LV.

Natus erat ille Remigii loco ad Mosellam  
haud procul Luxenburgo sito, Parentibus non  
obscuris: amplexus religiosæ vitæ institutum sub  
regula S. P. Benedicti in Monasterio Münster di-  
cto prope Luxenburgum, adeò se se supra alios  
virtutum studio efferre visus est, ut duobus Mo-  
nasteriis Sponheimensi & Bergensi præesse iussus  
fuerit. Accidit subin, ut à Calvinistis captus  
cum cane ad currum alligatus abduceretur; li-  
beratus autem captivitate tam barbarâ Parochiam  
in pago Steinheim Diceceseos Moguntinæ admi-  
nistrabat, eâ quidem solertiâ, ut Philippus Er-  
winus à Schönborn Reverendissimi ac Celsissimi  
Prin-